

lem, quæ maximam partem confert ad cognoscendum quod quid est, ut in I. de Anima (text. xi.) dicitur. Post mortem ergo manet anima, sensibilis sicut anima rationalis secundum substantiam; sed potentiæ sensitivæ secundum quosdam non manent; quæ quidem potentiæ cum sint accidentales proprietates, earum varietas identitatem animalis totius auferre non potest, nec etiam partium animalis; non enim dicuntur potentiæ perfectiones, vel actus organorum, nisi sint principia agendi, ut calor in igne.

Ad quartum dicendum, quod statua dupliciter considerari potest: vel secundum quod est substantia quædam, vel secundum quod est artificiale quoddam. Et quia in genere substantiæ ponitur ratione suæ materiæ, ideo si consideretur secundum quod est substantia quædam, est eadem numero statua quæ ex eadem materia reparatur. Sed in genere artificialium ponitur secundum quod est forma, quæ accidens quoddam est, & transit, statua destructa, & sic non redit eadem numero, nec statua idem numero esse potest. Sed forma hominis, scilicet anima, manet post dissolutionem corporis: & ideo non est similis ratio.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in hac quæstione differt considerare quid fieri possit sine identitatis præiudicio, & quid fiet, ut congruentia servetur. Quantum ergo ad primum, sciendum, quod in homine possunt accipi diversæ partes totius dupliciter. Uno modo diversæ partes homogenei, sicut diversæ partes carnis, vel diversæ partes ossis; alio modo diversæ partes diversarum specierum totius heterogenei. Si ergo dicatur, quod pars materiæ redibit ad aliam partem speciei ejusdem, hoc non facit nisi varietatem in situ partium: situs autem partium variatus non variat speciem in totis homogeneis; & sic si materia unius partis redeat ad aliam, nullum præiudicium generabitur identitati totius: & ita etiam est in exemplo quod ponitur in littera: quia statua non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam, secundum quam est substantia quædam. Sic autem statua est homogenea, & quamvis non secundum formam artificialem. Si autem dicatur, quod materia unius partis redit ad aliam partem alterius speciei; sic de necessitate variatur non solum situs partium, sed etiam identitas ipsarum; ita tamen si tota materia, aut aliquid quod erat de veritate humanæ naturæ in una, in aliam transferatur; non autem si aliquid quod erat in una parte superfluum, transferatur in aliam. Ablata autem identitate partium, aufertur identitas totius, si loquimur de partibus essentialibus, non autem si loquimur de partibus accidentalibus, sicut sunt capilli, & ungues, de quibus videtur loqui Augustinus. Et sic patet qualiter translatio materiæ de parte in partem tollit identitatem totius, & qualiter non. Sed loquendo secundum congruentiam, magis probabile est quod etiam situs partium idem servabitur in resurrectione, præcipue quantum ad partes essentielles, & organicas, quamvis forte non quantum ad partes accidentales, sicut sunt ungues, & capilli.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa procedit de partibus organicis, & non de partibus (2) similibus.

Ad secundum dicendum, quod diversus situs partium materiæ non facit diversitatem in numero,

(2) Al. similibus.

quamvis eam faciat diversitas materie. Ad tertium dicendum, quod operatio non est proprie loquendo partis, sed totius; unde præmium non debetur parti, sed toti.

ARTICULUS II.

Utrum omnia membra corporis humani resurgent.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non omnia membra corporis humani resurgent. Remoto enim fine, frustra reparatur illud quod est ad finem. Finis autem cuiuslibet membri est eius actus. Cum ergo nihil sit frustra in operibus divinis, & quorundam membrorum usus post resurrectionem non competat, præcipue genitalium, quia tunc nec nubent, nec nubentur; videtur quod non omnia membra resurgent.

2. Præterea. Intestina membra quædam sunt. Sed non resurgent: plena enim resurgere non possunt, quia immunditias continent; nec vacua, quia nihil est vacuum in natura. Ergo non omnia membra resurgent.

3. Præterea. Ad hoc corpus resurget, ut præmatur de opere quod anima per ipsum gessit. Sed membrum propter furrum amputatum furi, qui postea penitentiam agit, & salvatur, non potest in resurrectione remunerari neque de bono, quia ad hoc non cooperatum est, neque de malo, quia pena membri in penam hominis redundaret. Ergo non omnia membra resurgent cum homine.

Sed contra. Magis pertinent ad veritatem humanæ naturæ alia membra quam capilli, & ungues. Sed capilli, & ungues restituentur homini in resurrectione, ut dicitur in littera. Ergo multo fortius alia membra. Præterea. Dei perfecta sunt opera. Sed resurrectio opere divino fiet. Ergo homo reparabitur perfectus in omnibus membris.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod capilli, & ungues in homine non resurgent. Sicut enim capilli, & ungues ex superfluitatibus cibi generantur; ita urina, sudor, & aliæ huiusmodi facies. Sed hæc non resurgent cum corpore. Ergo nec capilli, & ungues.

2. Præterea. Inter alias superfluitates quæ ex cibo generantur, maxime accedit ad naturam humanam veritatem semen, quod est superfluum quo indiget. Sed semen non resurget in corpore hominis. Ergo multo minus capilli, & ungues resurgent.

3. Præterea. Nihil est perfectum anima rationali quod non sit perfectum anima sensibili. Sed capilli, & ungues non sunt perfecti anima sensibili, quia eis non sentimus, ut dicitur in I. de Anima, text. lxxix. Ergo cum non resurgat corpus humanum nisi propter hoc quod est perfectum ab anima rationali, videtur quod capilli, & ungues non resurgent.

Sed contra est quod dicitur Luc. xxi. 18. Capillus de capite vestro non peribit. Præterea. Capilli, & ungues sunt dati in ornatu homini. Sed corpora hominum, præcipue electorum, debent resurgere cum omni ornatu. Ergo debent resurgere cum capillis.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod humores in corpore

(1) Vulgata: possidere non possunt.

non resurgent. Quia I. Corinth. xv. 50. dicitur: Caro est sanguis regnum Dei (1) non possidebunt. Sed sanguis est principalior humor. Ergo non resurget in beatis, qui regnum Dei possidebunt, & multo minus in aliis.

2. Præterea. Humores sunt ad restaurationem deperditii. Sed post resurrectionem nulla deperditio fiet. Ergo corpus non resurget cum humoribus.

3. Præterea. Illud quod est in via generationis in corpore humano, nondum est ab anima rationali perfectum. Sed humores adhuc sunt in via generationis, quia sunt in potentia caro, & os. Ergo nondum sunt perfecti anima rationali. Sed corpus humanum non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod est anima rationali perfectum. Ergo humores in eo non resurgent.

Sed contra. Quod est de constitutione corporis humani, resurget in eo. Sed humores sunt huiusmodi: quod patet per Augustinum; alium Auctorem de spiritu & anima, cap. xv. qui dicit quod corpus constat ex membris officialibus, officialia ex similibus, similia ex humoribus. Ergo humores resurgent in corpore.

Præterea. Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi. Sed in Christo resurrexit sanguis; alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem ejus in sacramento altaris. Ergo & in nobis resurget sanguis; & eadem ratione alii humores.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod non totum quod fuit in corpore de veritate naturæ humanæ, resurgat in ipso. Quia cibus convertitur in veritatem humanæ naturæ. Sed aliquando caro bovis sumitur in cibum. Si ergo resurget quidquid fuit de veritate humanæ naturæ, resurget etiam caro bovis; quod videtur inconveniens.

2. Præterea. Costa Adæ fuit de veritate humanæ naturæ, sicut & costa nostra in nobis. Sed costa Adæ non resurget in eo, sed in Eva; alias Eva non resurget, quia de costa illa formata est. Ergo non resurget in homine quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipso.

3. Præterea. Non potest esse quod idem in diversis hominibus resurgat. Sed potest esse quod aliquid fuerit de veritate humanæ naturæ in diversis hominibus, sicut si aliquis carnibus humanis vescatur, quæ in substantiam ejus transeant. Ergo non resurget in aliquo quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipso.

4. Si dicatur, quod non quidquid est in carnibus comestis, est de veritate humanæ naturæ; & ita aliquid eorum potest resurgere in primo, & aliquid in secundo: contra. De veritate humanæ naturæ maxime videtur esse illud quod a parentibus trahitur. Sed si aliquis non comedens nisi carnes humanas filium generet, oportet quod illud quod filius a parente trahit, fuerit de carnibus aliorum hominum quas pater suus comedit: quia semen est de superfluo alimentis, ut Philosophus probat in Lib. de animalibus, Lib. I. de generat. animal. cap. xvi. Ergo illud quod est de veritate humanæ naturæ in puero isto, etiam fuit de veritate humanæ naturæ in aliis hominibus, quorum pater carnes comedit.

5. Si dicatur, quod illud quod erat de veritate humanæ naturæ in carnibus hominum comestorum, non transit in semen, sed illud quod erat ibi de veritate humanæ naturæ non existens: contra. Ponatur quod

(1) Vulgata: possidere non possunt.

aliquis ciberetur solum embryis, in quibus videtur nihil esse quod non sit de veritate naturæ, quia totum quod est in eis, trahitur a parentibus. Si ergo superfluitas cibi convertitur in semen, oportet quod illud quod fuit de veritate humanæ naturæ in embryis, qui etiam ad resurrectionem pertinent, postquam animam rationalem perceperunt, sit etiam de veritate humanæ naturæ in puero qui ex tali semine generatur; & sic cum non possit idem resurgere in duobus, non poterit in quolibet resurgere quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in ipso.

Sed contra. Quidquid fuit in homine de veritate humanæ naturæ, fuit perfectum anima rationali. Sed ex hoc habet corpus humanum ordinem ad resurrectionem, quia fuit anima rationali perfectum. Ergo quidquid fuit de veritate humanæ naturæ, resurget in unoquoque. Præterea. Si a corpore hominis subtrahatur aliquid quod est de veritate humanæ naturæ, in ipso non erit corpus hominis perfectum. Sed omnis imperfectio tollitur in resurrectione, præcipue ab electis, quibus promissum est Luca xxi. quod capillus capitis eorum non peribit. Ergo quidquid fuit de veritate naturæ humanæ, resurget in homine.

QUÆSTIUNCULA V.

1. Uterius. Videtur quod quidquid fuit materialiter in membris hominis, totum resurget. Minus enim videntur pertinere ad resurrectionem capilli quam alia membra. Sed quidquid fuit in capillis, totum resurget; & si non in capillis, saltem in aliis partibus corporis, ut Augustinus dicit in littera. Ergo multo fortius quidquid fuit in aliis membris materialiter, totum resurget.

2. Præterea. Sicut partes carnis secundam speciem perficiuntur ab anima rationali, ita partes secundam materiam. Sed corpus humanum habet ordinem ad resurrectionem ex hoc quod fuit anima rationali perfectum. Ergo non solum partes secundam speciem, sed omnes partes secundam materiam resurgent.

3. Præterea. Ex parte illa accidit corpori totalitas ex qua parte accidit ei divisio in partes. Sed divisio in partes accidit corpori ex parte materiæ, cuius dispositio est quantum secundum quam dividitur. Ergo & totalitas corporis attenditur secundum partes materiæ. Si ergo non omnes partes materiæ resurgent, non totum corpus resurget, quod est inconveniens. Sed contra. Partes secundum materiam non manent in corpore, sed fluunt, & refluant, ut patet per illud quod dicitur in I. de generatione, text. xxx. & xxxv. Si ergo omnes partes secundum materiam resurgent, vel erit corpus resurgentis densissimum, vel erit immoderate quantitas.

Præterea. Quidquid est de veritate humanæ naturæ in uno homine, totum potest esse pars materiæ in alio homine, qui ejus carnibus vescitur. Si ergo omnes partes secundum materiam resurgent in aliquo, sequitur quod resurget in uno id quod est de veritate humanæ naturæ in alio; quod est inconveniens.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut dicitur in II. de Anima, text. xxxvii. & xxxviii. anima habet se ad corpus non solum in habitudine formæ, & finis, sed etiam in habitudine causæ efficientis.

(1) Vulgata: possidere non possunt.

cientis: est enim comparatio animæ ad corpus, sicut est comparatio artis ad artificiatum, ut dicit Philosophus Lib. VII. Moral. Endemiorum cap. v. Quidquid autem explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite, & originaliter in ipsa arte continetur; & similiter etiam quicquid in partibus corporis apparet, totum originaliter, & quodammodo implicite in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificiato aliquid deesset eorum quæ ars continet; ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum quod in anima implicite continetur, exterius in corpore explicetur; nec etiam corpus ad plenum proportionaliter responderet animæ. Cum ergo oporteat in resurrectione corpus hominis esse animæ totaliter correspondens, quia non resurgit nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem; oporteat etiam hominem perfectum resurgere, utpote quod ad ultimam perfectionem consequendam reparatur: oportet quod omnia membra quæ nunc sunt in corpore, in resurrectione hominis reparentur.

Ad primum ergo dicendum, quod membra dupliciter possunt considerari in comparatione ad animam: vel secundum habitudinem materiæ ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem. Eadem est enim comparatio totius corporis ad totam animam, & partium ad partes, ut dicitur in II. de Anima, text. ix. Si ergo membrum accipiat secundum primam comparationem, finis ejus non est operatio, sed magis perfectum esse speciei; quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem (1) membrum accipiat secundum secundam comparationem, sic finis ejus est operatio; nec tamen sequitur quod quando deficit operatio, frustra sit instrumentum: quia instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed ad ostendendum virtutem ipsius: unde oportebit ut virtus potentiarum animæ instrumentis corporis demonstratur, etsi nunquam in actum prodeant, ut ex hoc commendatur Dei sapientia.

Ad secundum dicendum, quod intestina resurgunt in corpore, sicut & alia membra; & plena erunt, non quidem turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus.

Ad tertium dicendum, quod actus quibus mereamur, non sunt proprie loquendo manus, vel pedis, sed hominis totius; sicut & operatio artis non attribuitur instrumentis, sed artifici, ut Philosophus dicit I. Ethic. cap. ix. Quamvis ergo membrum quod ante poenitentiam est mutilatum, non sit cooperatum homini in statu illo quo gloriam post meretur, tamen ipse homo meretur ut totum præmieretur, qui ex toto quod habet, Deo servit.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod anima habet se ad corpus animatum sicut ars ad artificiatum, & ad partes ejus sicut ars ad sua instrumenta; unde & corpus animatum organicum dicitur. Ars autem utitur instrumentis quibusdam ad operis intenti executionem, & hæc instrumenta sunt de prima intentione artis. Utitur etiam aliis instrumentis ad conservationem principalium instrumentorum, & hæc sunt de secunda intentione artis; sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, & vagina ad gladii conservationem. Ita etiam in partibus corporis animati quæ-

(1) Al. anima. (2) Al. & non sunt. (3) Al. fames. etiam ms. sed in Supplem. quæst. lxxx. art. 3. dealterari,

dam ordinantur ad operationes animæ exequendas, sicut cor, hepar, manus, & pes; quædam autem ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum: ita etiam capilli, & unguis sunt in homine ad custodiam aliarum partium: unde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamvis non de prima. Et quia homo resurget in omni perfectione suæ naturæ, propter hoc oportet quod capilli, & unguis resurgant in ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod illæ superfluitates expelluntur à natura quasi ad nihil utiles, unde non pertinent ad perfectionem corporis humani; secus autem est de aliis superfluitatibus, quas sibi natura retinet ad generationem capillorum, & unguium, quibus indiget ad membrorum conservationem.

Ad secundum dicendum, quod semine non indiget ad perfectionem individui, sicut capillis, sed solum ad perfectionem speciei.

Ad tertium dicendum, quod capilli, & unguis nutriuntur, & augentur; & sic patet quod aliqua operatione participant, quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ: & quia in homine non est nisi una anima, scilicet anima rationalis, constat quod ab anima rationali perfectæ sunt, quamvis non usque ad hoc quod operatione sensus participant, sicut nec ossa, de quibus constat quod resurgent, (2) & sunt de integritate individui.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod quicquid pertinet ad integritatem humanæ naturæ in resurgente, hoc totum in eo resurget ratione prædicta: unde oportet quod illa humiditas corporis resurgat in homine quæ ad integritatem ejus pertinet. Est autem in homine triplex humiditas. Quædam enim humiditas est in recedendo à perfectione hujus individui, vel quia est in via corruptionis, & à natura abjicitur, sicut urina, sudor, (3) sanies, & hujusmodi; vel quia à natura ordinatur ad conservationem speciei in alio individuo, sive per actum generantem, sicut semen, vel per actum nutrientem, sicut lac: & nulla talium humiditatum resurget, eo quod non est de perfectione individui resurgentis. Secunda humiditas est quæ nondum pervenit ad ultimam perfectionem quam natura operatur in individuo, sed est ad illam ordinata à natura; & hæc est duplex. Quia quædam est quæ habet aliquam formam determinatam, secundum quam continetur inter partes corporis, sicut sanguis, & alii tres humores, quos natura ordinavit ad membra, quæ ex eis (4) generantur; sed tamen habent aliquas formas determinatas, sicut & alia partes corporis: & ideo resurgunt cum aliis partibus. Quædam vero humiditas est in via transeundi de forma in formam, scilicet de forma humoris in formam membræ: & talis humiditas non resurget, quia post resurrectionem partes corporis singulæ in suis formis stabiliuntur, ut una in aliam non transeat: & ideo non resurget illa humiditas quæ est in ipso actu transeundi de forma in formam. Hæc autem humiditas potest in duplici statu accipi: vel secundum quod est in principio transmutationis, & sic (5) vocatur ros, illa scilicet humiditas quæ est in foraminibus parvarum venarum: vel secundum quod est in progressu transmutationis, & incipit jam (6) dealbari, & sic vocatur cambium. In neutro autem statu resurget. Tertium genus humi-

(4) Nicolai vegetantur. (5) Al. vocatur os. (6) Ita etiam ms. sed in Supplem. quæst. lxxx. art. 3. dealterari, & mox dealterata.

ditatis est quod jam pervenit ad ultimam perfectionem quam natura intendit in corpore individui, quæ jam est dealbata, & incorporata membris: & hæc vocatur glutem; & cum sit de substantia membrorum, resurget, sicut alia membra resurgunt.

Ad primum ergo dicendum, quod caro, & sanguis in verbis illis Apostoli non accipiuntur pro substantia carnis, & sanguinis, sed pro operibus carnis, & sanguinis, quæ sunt opera peccati, vel opera animalis vitæ. Vel secundum quod dicit Augustinus in Enchirid. cap. xci. caro, & sanguis accipitur ibi pro corruptione, quæ nunc dominatur in carne, & sanguine: unde etiam subditur in verbis Apostoli: *Neque corruptio incorruptionem.*

Ad secundum dicendum, quod sicut membra servientia generationi erunt post resurrectionem ad integritatem humanæ naturæ, non ad operationem quæ nunc exercetur per membra illa; ita & humores erunt in corpore non ad restaurationem deperditam, sed ad integritatem humanæ naturæ reparandam, & ad virtutis naturalis ostensionem.

Ad tertium dicendum, quod sicut sunt elementa in via generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia, non autem ita quod semper sint in transeundo in corpore mixto; ita etiam humores se habent ad membra: & propter hoc sicut elementa in partibus universi habent formas determinatas, ratione quarum sunt in perfectione universi, sicut corpora mixta; ita & humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & alia partes, quamvis non perveniant ad totam perfectionem, sicut alia partes; nec elementa habent ita perfectas formas sicut mixta. Sicut autem partes omnes universi perfectionem à Deo consequuntur non æqualiter, sed secundum suum modum unumquodque; ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo sicut partes perfectiores.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, ut in II. Metaph. text. iv. dicitur: quia illa res vera est quæ ita est, ut videtur cognitori secundum actum; & propter hoc Avicenna dicit tract. 11. Metaph. cap. xv. quod veritas uniuscujusque rei est proprietas sui esse quod stabilitum est ei: & secundum hoc aliquid dicitur esse de veritate humanæ naturæ, quia proprie pertinet ad esse humanæ naturæ, & hoc est quod participat formam humanæ naturæ; sicut verum aurum dicitur quod habet veram formam auri, ex qua est proprium esse auri. Ut ergo videatur quid sit illud quod est de veritate humanæ naturæ, sciendum, quod circa hoc est triplex opinio.

Quidam enim posuerunt, quod nihil de novo esse incipit de veritate humanæ naturæ; sed quicquid ad veritatem humanæ naturæ pertinet, totum fuit in ipsa institutione humanæ naturæ de veritate ejus, & hoc per seipsum multiplicatur ut ex eo possit semen decidi à generante, ex quo filius generetur: in quo etiam illa pars decisa multiplicatur, & ad perfectam quantitatem pervenit per augmentum, & sic deinceps; & ita multiplicatum est totum genus humanum.

Unde secundum hanc opinionem quicquid ex alimento generatur, quamvis videatur speciem carnis, aut sanguinis habere, non tamen pertinet ad veritatem humanæ naturæ.

(7) In editione Nicolai deest quod scilicet est ex semine generatum. (8) Al. quod radicale dicitur. (9) Al. percunctatæ. Nicolai pertractatæ.

Alii vero dixerunt, quod aliquid de novo additur ad veritatem humanæ naturæ per transmutationem naturalem alimenti in corpus humanum, considerata veritate humanæ naturæ in specie, ad cuius conservationem ordinatur actus generativæ virtutis. Si autem veritas humanæ naturæ in individuo consideretur, ad cuius conservationem, & perfectionem actus nutritivæ virtutis ordinatur, non additur aliquid per alimentum quod sit primo de veritate humanæ naturæ hujus individui, sed solum secundario. Ponunt enim quod veritas humanæ naturæ primo & principaliter consistat in humido radicali, (7) quod scilicet est ex semine generatum, ex quo est prima constitutio corporis humani: quod autem convertitur de alimento in veram carnem, & sanguinem, non est principaliter de veritate humanæ naturæ illius individui, sed secundario; sed potest esse principaliter de veritate humanæ naturæ alterius individui quod ex semine illius generatur. Semen enim ponunt esse superfluum alimenti, vel cum admixtione alicujus quod est primo de veritate humanæ naturæ in generante, ut quidam dicunt; vel sine admixtione ejus, ut dicunt alii; & sic quod est humidum nutrimentale in uno, fit humidum radicale in alio.

Tertia opinio est, quod aliquid de novo incipit esse principaliter de veritate humanæ naturæ etiam in isto individuo: quia non est distinctio talis in corpore humano, ut aliqua pars materialis signata de necessitate per totam vitam remaneat; sed ad hoc indifferenter se habet quælibet pars signata accepta, quod maneat semper quantum ad id quod est species in ea, sed potest fluere, & refluxere quantum ad id quod est materiæ in ipsa: & sic humidum nutrimentale non distinguitur à radicali ex parte principii, ut dicatur radicale quod est ex semine generatum, nutrimentale quod generatur ex cibo; sed magis distinguitur ex termino, (8) ut radicale dicatur quod ad terminum generationis pervenit per actum generativæ, vel etiam nutritivæ virtutis; sed nutrimentale, quia nondum pervenit ad hunc terminum, sed est adhuc in via nutriendi.

Et hæc tres opiniones in II. Lib. dist. xxx. quæst. 11. art. 1. in corp. plenius (9) positæ, & investigatæ sunt: & ideo non debent hic repeti, nisi quantum ad propositum pertinet.

Sciendum est ergo, quod secundum has opiniones diversimode ad hanc quæstionem oportet respondere.

Prima enim opinio per viam multiplicationis quam ponit, potest ponere perfectionem veritatis humanæ naturæ & quantum ad numerum individuorum, & quantum ad debitam quantitatem uniuscujusque individui absque eo quod ex alimento generatum est; quod quidem non additur nisi ad resistendum consumptioni, quæ posset induci per actionem caloris naturalis, sicut argento apponitur plumbum, ne ex liquefactione consumatur. Unde cum in resurrectione oporteat naturam humanam in sua perfectione reparari, nec calor naturalis tunc agat ad consumptionem humidi naturalis, nulla necessitas erit quod resurgat aliquid in homine quod ex alimento sit generatum; sed resurget tantum illud quod fuit de veritate humanæ naturæ individui, & per decisionem, & multiplicationem ad prædictam perfectionem pervenit in numero, & quantitate.

Secunda autem opinio, quia ponit quod eo quod generatur ex nutrimento, indiget ad perfectionem quan-